XXIX.

DISPUTATIO JURIDICA,

DE

FIDEJUSSIONIBUS,

Quam

Summo favente Numine,

Permiſſu & approbatione Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ in illuſtri Salanâ,

PRÆSIDE

Viro Clariſſimo & Conſultiſſimo

Dn. WOLFGANGO WERTHERO Mühlpfort U. J. D. Perilluſtrium & Generoſiſſimorum Comitum de Hohenlohe &c. &c. Conſiliario meritiſſimo, & Curiæ Provincialis Advocato digniſſimo, Hoſpite & Fautore ſuo plurimùm obſervando,

in JCtorum Auditorio publicæ diſcuſſioni ſubjicit

ad diem 27. Febr.

LEVIN-LUDOLPHUS AB ALVENSLEVE, Palæo-March.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ

TYPIS JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO clↃ IↃ CXVIII.

Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini

Dn. JOHANNIS SIGISMUNDI, MARCHIONIS BRANdenburgenſis, Sacri Rom. Imperii Archi-Camerarii & Electoris, Boruſſiæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, nec non Stetin. Pomeran. Caſſubiorum, Vandalorumque, ut & in Sileſia Croſnenſium ac Carnovienſium Ducis, Burggravii Norinbergenſis, Rugiæ Principis, Comitis Marchiæ & Ravensberg, Domini in Ravenſtein, &c.

Domini ſui longè clementiſſimi

Conſiliario intimo ac meritiſſimo.

Viro Magnifico, Nobiliſſimo, & Ampliſſimo

Dn. ARNOLDO de REYGER, Hereditario in Gladbeck/JCto celeberrimo, Adfini & Fautori ſuo ætatem colendo.

Haſce juris primitias

D. D. D.

Levin-Ludolph. ab Alvensleve, A. & R.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI ad omnia conſilia, omnesq́; actus ſemper progredimur. l. 2. in pr. C. de offic. præfect. prætor.

THESIS I.

Nihil in toto hoc mundi hemiſphærio eſſe, quod omni obtrectatione careat, & de quo unquam ſiniſtrum judicium latum non ſit, experientia teſte docemur. Unde pervulgatum illud: Ne Juppiter quidem omnibus placet. Ni enim is primis ſtatim ſuſpiriis, & precib. adhuc calentibus aurem benignam adhibeat, vel è veſtigio omnia ex voto & animo ſupplicantium procedere faciat, quamvis petita ſummam interdum iniquitatem involvant & importent, mox Virgilii illud evomere non erubeſcunt:

Flectere ſi nequeam Superos, Acheronta movebo.

Vel cum Claudiano indignabundi exclamare non verentur!

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia curſu, &c.

II.

Non mirum igitur alicui videatur, ſi qui inveniuntur, qui omnem lapidem moveant, omnesq́; eò intendant nervos, ut ea, quæ fortè ipſorum non arrident palato, è Republ. neſcio quam impietatem aut incommodum prætendentes dimoveant & ejiciant.

III.

Sic etſi omnium hominum cordibus innatum eſt, ſocie-

tatem civilem ſeu Politicam amplecti; non tamen, qui à civitate abhorrent non inveniuntur, magna ejuſdem mala prætexentes, & ſolitudinis commoda allegantes. Sed quàm miſera, imò quàm abſurda horum vita ſit ſatis ſuperq; docent *Beſold. claſſ. 1. diſp. Polit. 1. th. 18. Schönborn. 1. Polit. 4. Tholoſan. 1. de Rep. 2.* Et rectè omninò ſentit *Greg. Magn. ſuper Ezech. Homil 9. dicens:* Non adjuvat locus, ubi deeſt ſpiritus. Loth ſanctus in Sodomis extitit, in monte peccavit. *& Senec. Epiſt. 56. ait: Te animo populo ſubtrahe, non pede.*

IV.

Idem quoque Fidejuſſioni, contractui ſanè ſaluberrimo & Reip. maximè neceſſario (*de quo inpræſentiarum, quantùm ingenii mei imbecillitas permiſerit, breviſſimis agere mibi animus eſt*) accidit. Prodeunt quippè viri haut infimæ ſortis tàm ex Theologorum quàm JCtorum ſchola, contendentes fidejuſſionem contra rationem, contra pietatem, contra DEUM ipſum eſſe, ut multis conatur probare. *Conrad. Pelican. ad cap. 6. Proverb. & quos præterea referunt Molin. de Uſur. q. 31. Covar. 3. reſol. 2. c. 2. n. 6. Hering. in tract. de Fidejuſſ. cap. 1.*

V.

Concedimus equidem, eos, qui nimiùm fidejuſſionibus indulgendo res ſuas jactare & perdere videntur (*uti ex Jaſon. in l. 30. §. qui pecuniam. nu. 3. & ſeq. de pact. & Tiraquell. de LL. connub. gl. 5. n. 104. & ſeq. id probat. Heig. in comm. ad rubr. J. b. t. nu. 5. & ſeq.*) meritò vituperandos, & bonorum conſumtores appellandos eſſe. Nec enim opus eſt, ſic commodemus aliis, nobis uti inde ſit adflictio. *2. Corinth. 8. verſ. 12.* & rectè *Seneca 2. de benefic. 15.* Dabo, inquit, egenti, ſed ut ipſe non egeam; ſuccurram perituro, ſed ut ipſe non peream.

VI.

Non tamen hinc ſequitur, omnem fidejuſſionem, inprimis quæ cum grano ſalis ob evidens alterius commodum cautè ſuſcipitur è Republ. removendam & damnandam eſſe.

eſſe. Abuſum enim à vero uſu, ut in omnibus reb. ita & hîc ſejungi volumus.

VII.

Nec exempla tùm ſacra tùm profana, quæ fidejuſſionem in uſu licitè fuiſſe probent, deſunt, uti videre eſt, *Geneſ. 42. v. 37. & 43. v. 8. & ad Philem. cap. 1. v. 18.* Facit etiam mentionem ſolemnium fidejuſſionis *Plin. 1. Epiſt. 14.* Eamque non tantùm inter privatos & tenuioris ſortis homines, ſed & ſummos Principesq; viros hactenus vigorem ſuum obtinuiſſe conſtat. Sic Imp. Henricus Johannem Bohemiæ Regem fidejuſſorem dediſſe legitur. *Bodin. 1. de Rep. 10. n. 128.* Sic Carolus VIII. Galliarum Rex à Genuenſi mercatore mutuatus eſt 50000. aureorum, ſed fidejuſſoribus datis. *Comin. 1. de bell. Neapol. pagin. (mihi) 758.* Et quis ita rerum eſt ignarus? quis ita in media luce caligat, qui non hodieque fidejuſſiones uſu frequentari adſiduo, eoque maxime licito videat?

VIII.

Imò pium & humanum eſt, proximo opitulares præbere manus, & beneficio adfici hominem hominis intereſt, *l. 7. in fin. de ſerv. export.* Fide autem promittere vel jubere nil aliud eſt, quàm ope ſuccurrere. Unde Fides apud antiquos ſæpiſſimè pro auxilio uſurpata reperitur. *Sic Plaut. in Amphytr. act. 1. Scen. 1.* Dii voſtram fidem obſecro, *& in Aulular. act. 4. Scen. 7.* Juno Lucina tuam fidem, & *Liv. lib. 2.* Nunc populi fidem implora. *Barnab. Briſſon. 1. formul. antiquit. c. 78. & lib. 7. pag. 719.* Quapropter juramentum de non fidejubendo tanquam bonis moribus contrarium, & Comitibus ſuis (*de quib. in c. etſi Chriſtus 26. extr. de jurejur.*) deſtitutum, non eſſe obligatorium rectè concludimus. *c. non eſt obligatorium. de R. J. in 6.* Non tamen illorum per omnia improbamus conſuetudinem, qui malo ſuo edocti fidejubendi facilitatem pœna conventionali coërcent & conſtringunt.

IX.

Ex hiſce itaque ſatis liquet, fidejuſſionem licitam eſſe,

 nec

nec improbandam : quare contrarium ſentientium argumenta nihili facientes ad ipſa hujus materiæ penetralia pedem promovemus, & viſâ primùm notatione nominis & homonymiâ excuſsâ, definitionem (à quâ omnis diſputatio proficiſci debet, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur, teſte *Cicer. 1. offic.* & rectè *Agricol* Nemo, inquit, rem melius noſcere videtur, quàm qui quid ea ſit, breviter explicat. *vid. etiam Eberb. in Topic. in loc. à definit.*) fidejuſſionis proponemus; poſt perſonas, quæ fidejubere vel minus poſſunt. Item objectum ſeu materiam, finem, effecta & denique contraria ſive modos, quibus diſſolvatur luſtrabimus, & ſub diſputationis incudem revocabimus.

X.

Eſt autem Fidejubere (quod à Fide & verb. Jubeo ſic dictum nemini non patet) fide ſuâ & periculo id fore, de quo agitur, recipere & promittere. *l 24 de fidejuſſ.* vel fidem ſuam pro alio obligare. *l. 28. §. legatum 6. ff. de liberat. legat. Paul. 1. ſent. 9.* Et ita Fidejuſſor nonnunquam ſumitur latè pro omni eo, qui alterius obligationem quovis modo ſuſcipit, & fide ſuâ jubet, ut *in l. 8. §. 1. & 2. ff. ad SC. Vellej.* ſicque complectitur & mandatorem & conſtituentem, & expromiſſorem, *d. l. 8. §. 8. l. 7. § 8. de dol. mal. l. 4 ff de condict. cauſ. dat.* Propriè autem pro eo, qui per ſtipulationem ſe pro alio obligat, *l. 1. C. de conſtit. pec.* Vid. *Weſenb. in par. h. t. num. 2. Treutler. 2. diſput. 28. theſ. 1.*

XI.

Hinc inter fidejuſſorem propriè ſic dictum & mandatorem differentiam eſſe maximè conſtat; tùm ex ipſis titulorum *in ff. C. & Nov. 4.* inſcriptionib. tùm quòd mandator regulariter obligationem ſaltem præcedat *l. 12. §. 14. mandat. l. ult. C. quod cum eo qui alien.* Fidejuſſor autem & præcedere & ſequi obligationem poſſit. *§. 3. I. h. t. Weſenb. in par. n. 2. ff. h. t.* tùm quod mandatum ſolo conſenſu contrahatur. *in pr. I. de obl. quæ ex conſ. l. 2. ff. de O. & A.* Fidejuſſio autem non ſolo conſenſu, ſed ſtipulatione demùm interveniente fiat.

l. 12.

l. 12. C. h. t. l. 5. §. 2. de V. O. Rittershuſ. part. 2. jur. Juſtin. c. 2. n. 10. Subjungit inſuper hiſce *Cujac. 23. obſ. 25.* quod olim uno fidejuſſore electo cæteri liberabantur. §. 4. *I. h. t. l. 26. ff. h. t.* in mandatoribus autem idem non obſervari. *l. 52. §. fin. d. tit. l. reos. C. eod. vid. Hippol. de Marſil. in tract. de fidejuſſ. num. 6. Gœdd. de contrah. ſtipul. c. 5. concl. 5. nu. 18. & ſeqq. Hottom. Pac. ad pr. J. h. t. Hanon. diſp. J. 15. th. 1.*

XII.

Sic quoque ab Expromiſſore & Conſtituente differre patet ex eo, quod ille alterius obligationem novatione facta in ſe transferat totam, adeoque ipſum reum principalem omni liberet atque eximat obligatione. *l. fin. ad SC. Maced. l. 22. ad SC. Vellej. l. 7. §. ſervus de dol. mal.* & hinc quaſi fidejuſſor dicitur *l. fin. ff. quod cum eo.* Hic verò ſemper certum habet diem. *l. 21. de conſt. pecun.* & ex nudo ſaltem obligatur pacto. *§. 9. I. de Act. l. 1. §. 4. de conſt. pec. Weſenb. in par. eod. n. 2.* quorum nihil de fidejuſſore adfirmari poteſt. *Hottom. Pac. dd. loc. Vult. ad pr. I. h. t. nu. 5. Treutl. d. diſp. 28. th. 1.*

XIII.

Vocantur etiam Fidejuſſores Adpromiſſores. *l. 43. de ſolut. l. 5. §. 2. de V. O. l. 64. de ſolut. matrim.* quòd ſcil. cum altero promittant. *d. l. 5. §. 2. Vult. ad d. pr. nu. 4.* Item Prædes, Sponſores, Vades. *Vid. Ampliſſ. Dn. Hilliger. Præcept. colend. in Donell. ſuo enucl. 15. c. 48. lit. B.* Quod ſi plures fuerint fidejuſſores, appellantur hi Confidejuſſores, Conſponſores, Correi fidejubendi. *Rittersh. d. c. 2. num. 7. Hering. d. tract. cap. 27. num. 2.*

XIV.

Eſt autem Fidejuſſio ſtipulatio, qua quis alii tutò credi ſpondet ſuo periculo & fide majoris ſecuritatis gratia, principali debitore nihilominus manente obligato. *l. 1. §. 8. de O. & A. in pr. I. h. t. §. fin. I. de replic. Borch. ad pr. I. h. t. Nobiliſſ. JCtus Arnold. de Reyger. in theſaur. jurid. verb. Fidejuſſor. nu. 1. Treutl. d. diſp. 28. th. 1.*

XV. Verùm

XV.

Verùm itaque & proximum genus fidejuſſionis ſtipulationem eſſe adſero. *l. 5. §. 2. de V. O.* Hinc per Epiſtolam non rectè contrahitur. *Weſenb. in par. h. t. n. 5. Ampliſſ. Dn. Foman. Præcept. obſerv. diſp. I. 21. th. 10.* Præſumitur tamen ſemper interveniſſe ſtipulatio, & ſolenniter eſſe acta omnia, ſi ſcriptum ſit, fidejuſſum eſſe. *§. fin. I. h. t. l. 30. de V. O. l. 1. C. de contrab. ſtipul.* Et ita quidem eſt de jure ſtricto: ſed hodiernis moribus, uſuq; forenſi Germaniæ generali æquitatis & communis commerciorum uſus intuitu fidejuſſiones etiam per Epiſtolam contractæ efficaces ſunt. *Dn. Hillig. dict. loc. lit. C. Hering. d. tr. c. 11. nu. 76. & ſeq.*

XVI.

Quicunque ſtipulari, hi quoque fidejubere poſſunt, *Azo ad rubr. C. de fidejuſſ. nu. 4 Weſenb. in par. ff. eod. nu. 3. Sturc. 1. diſp. 2. I. th. 7. & 8.* Prohibentur verò perſonæ quædam ſtipulari *Naturâ* vel *Lege.* Quicunque igitur ſtipulari nequeunt, hos quoque nec fidejubere poſſe certum eſt. Conceſſo enim antecedente, conceditur & conſequens, & illo denegato denegatur & hoc *arg. l. 3. §. 3. ff. de ſervit. ruſt. præd. l. 1. § 1. ff. ſi uſuſr. pet. Eberh. in Topic. à conceſſ. anteced. ad conceſſ. conſeq. n. 1. & ſeq. Gomez. reſol. 13. nu. 16.*

XVII.

Naturâ primò prohibentur fidejubere dementes & furioſi: quorum cum nulla voluntas eſt. *l. 40. de R. J.* & omni intellectu carent. *l 14. de off. præſid.* ac pro abſentibus habentur. *l. 124. §. 1. de R. J.* nullum negotium contrahere *l. 5. d. tit.* adeoque nec obligari aut fidejubere poſſunt. *l. 70. §. 4. h. t. l. 6. de O. & A. l. 9 de acquir. hered. l. 2. C. de contrab. emt. Vult. ad §. 8. Inſt. de inutil. ſtipul. n. 3. & ſeq. Borch. ibid. nu. 2. Gœdd. d. tr. c. 7. concl. 9 n. 92. Hottom. Heig. ad d. §. 8. I. de inutil. ſtip. Sturc. d. diſp. 2. th. 8.*

XVIII.

Cum is qui ſtipulatur verba promittentis, & is qui promittit

mittit verba ſtipulantis audire debet. §. 7. *Inſt. de inutil. ſtipul. l. 1. §. fin. de O. & A. l. 1. pr. de V. O.* ſurdum & mutum ad verborum obligationem non pertinere manifeſtum eſt. *d. l. 1. §. fin. de O. A. l. 70. de V. O. Hottom. & Heig. ad d. §. 7. & 8. Inſt. de inutil. ſtipul.*

XIX.

Infans cum fari nequeat, multò minus ſtipulari aut fidejubere poteſt. *l. 1. pr. l. 70. de V. O. §. 10. Inſt. de inutil. ſtip.* Item pupillus: is enim neque ſcire neque diſcernere ſine tutore quicquam poteſt. *l. 9. de acquir. hered. l. fin. de jur. & fact. ign. l. 26. de juſt. & jur. l. fin. Rem pupill. ſalv. in pr. I. de autor. tut. & ibi Hottom. Sturc. d. diſp. 2. th. 8.* De minore verò major inter Dd. diſceptatio eſt, an ſc. hic fidejubendo obligari poſſit? Et poſſe eum obligari etiam civiliter ſine curatoris authoritate rectè ſtatuitur *l. 101. de V. O.* cum curator rei non perſonæ detur. *§. 4. Inſt. qui teſt. tut. dar.* Obligationum enim natura conſiſtit in eo, ut alium nobis obſtringat ad dandum vel faciendum, non ut corpus aliquod noſtrum faciat. *l. 3. de O. & A.* Beneficium tamen reſtitutionis in integrum habebit *l. 8. §. 1. & 2. Qui ſatiſd. cog. l. 3. h. t. Sturc. d. diſp. th. 8. lit. B.*

XX.

Et ita recenſitis perſonis, quæ naturâ prohibentur, & à fidejuſſione arcentur, operæ precium æſtimo, ut & de iis, quæ *Lege* prohibentur diſpiciamus.

XXI.

Quas inter primùm offerunt ſeſe Servi, qui cum de jure civili nullius juris, *l. 3. de cap. minut.* imò pro nullis habentur *l. 32. §. 1. de jur. deliber.* ac mortuis comparantur. *l. 209. de R. J. l. 59. de cond. & dem.* nec in eos obligatio ulla cadit. *l. 13. de V. O.* nec ulla datur actio, *l. 107. de R. J.* regulariter rectè fidejubere non poſſunt. *l. 3. l. 19. l. 20. de fidejuſſ. l. 38. §. 2. de ſolut.* niſi de peculio ſuo. *arg. l. 19. ff. h. t.* Naturaliter enim ſaltem ſervi obligantur. *l. qui ſervus de ſolut. l. 14. l. 64. de cond.*

 indeb.

indeb. l.14. de O. & A. l. 21. §. 2. ff. de fidejuſſ. quæ obligatio non ſufficit ad producendam fidejuſſionem. *Hænon. in diſp. 5. de R. J. theſ. 1. ad l. 9. eod. Philipp. Matth. Gædd. d. tr. cap. 7. concl. 6. num. 70.*

XXII.

Lege item prohibentur damnati ad mortem *l. 12. l. 28. & ſeq. ff. de pœn. §. 3. I. quib. mod. jus patr.* Item in metallum *l. 17. de pœn. l. 8. qui teſtam. fac.* & ad beſtias *d. l. 28. de pœn. d. l. 8. qui teſtam. fac.* Efficiuntur enim ſervi pœnæ, & ita non ſolùm civitatem, ſed & libertatem amittunt *d. l. 12. l. ult. ff. de pœn. §. 1. I. de cap. dim. Gædd. d. tr. d. c. 7. concl. 2. n. 10. & ſeq. Hænon. diſp. ff. 13. th. 4. Sturc. d. diſp. 2. th. 3. lit. C.*

XXIII.

Deportati quoque ad hanc claſſem pertinent. *l. 14. in fin. ff. de novat. l. 47. ff. h. t.* amittunt enim civitatem, & ea, quæ juris civilis ſunt. *d. l. 12. l. 17. de pœn. l. 6. §. 1. de interd. & releg. l. 1. §. his quib. de legat. 3.* Cum verò ſtipulatio juris civilis ſit. *§. de conſtituta. Inſt. de action. l. 126. §. 2. l. 83. de V. O. l. 1. ff. Locat. Gædd. d. c. 7. concl. 3. Ampliſſ. Dn. Præcept. honorand. Arum. diſp. l. 13. th. 1. Heig. ad tit. de capit. minut. nu. 10. & ſeq. Anton. Fab. in juriſpr. Papin. de J. N. G. & c. princ. 5. illat. 4. Vult. ad §. 4. de V. O.* utique ut ſtipulari, ita nec fidejubere eos poſſe conſequens eſt. *Vid. Ant. Fab. in Juriſpr. Papin. princ. 1. illat. 3. de capit. dimin. Hænon. d. diſp. ff. 13. th. 4. Gædd. d. c. 7. concl. 3. Cujac. 3. obſ. 10.*

XXIV.

Lege itidem vel potius privilegio & fœminæ à fidejuſſionibus arcentur: licet enim naturaliter & mero jure civili teneantur, introductum tamen eſt in earundem gratiam SCtum Vellejanum. *tt. ff. & C. ad SC. Vellejan.* cum fragiles ſint, & ſæpè contra propria laborare inveniantur commoda. *l. 4. C. de ſponſal.* & fidejuſſio plerumque damnum inferre videatur, juxta illud; Sponde, noxa præſtò eſt. *vid. Hering.*

c. 1. &

c. 1. & ſupr. th. 5. Ne itaque nimium circumveniantur & damna nimia ſentiant ex infirmitate ſuâ, hujus SCti exceptione à fidejuſſionibus ſublevantur. *l. 2. §. 2. l. 25. §. 1. ad SC. Vellej. l. 2. 3. 4. 10. C. eod. l. 3. l. 48. pr. ff. de fidejuſſ. Nov. 134. cap. 8.* non ſecus ac virile officium in ſe ſuſcipere prohibentur. *l. 2. ff. de R. J. l. 1. §. 5. ff. de poſtul. l. 12. §. 2. de judic. d. l. 2. §. 2. ad SC. Vellejan.* cum ſit contra pudicitiam huic ſexui congruentem. *d. l. 1. §. 5. de poſtul. Dd. comm ad rubr. ad SC. Vellej. Gomez. 2. reſol. 13. nu. 16. Gœdd. d. c. 7. concl. 16. n. 287. & ſeq. Sturc. d. diſp. 2. th. 8. Treutl d. diſp. 28. th. 2. Nobiliſſ. Arn. de Reyger. d. loc. n. 8.*

XXV.

Hinc acris Dd. diſceptatio oritur, an nimirum Mulier huic SCto Vellej. renunciare poſſit? Et poſſe adſerit. *l. fin. §. 4. ad SC. Vellej. l. 21. C. eod. auth. Matri & Aviæ. C. quand. mul. tut. offic. fung.* quilibet enim favori ſuo renunciare poteſt. *l. 51. C. de Epiſc. & Cler. l. pen. C. de pact. Bald. ad l. 1. C. ad SC. Vell. Gothofr. in not. ad d l. 51. Azo in ſumm. C. ad SC. Vellejan. Hippol. de Marſil. de fidejuſſ. nu. 39. Cujac. 20. obſ. 34. Bronch. 2. adſert. 40. Fachin. 2. c. 60. Gail. 2. obſ 77. Gœdd. d. c. 7. concl. 16. in fin. Sturc. d. diſp. 2. th. 8. lit. C.* Quorum ſententiæ noſtrum quoque calculum adjicimus, modò mulier ſpecialiter de hoc ſibi competente beneficio certiorata fuerit: id quod & allegati volunt Dd. Nec tamen contrariæ opinioni deſunt JCti celeberrimi & excellentiſſimi, cum mulier eâdem facilitate ad renunciandum, quâ ad fidejubendũ induci poſſit. *arg. l. 19. §. diverſum. ff. de novat.* & quæ pactio contra leges eſt, illam nullius eſſe momenti evincit *l. 7. §. ait prætor. ff. de pact. l. pacta quæ. C. eod.* Omnem autem interceſſionem eſſe contra SC. Vellejanum probari poſſe volunt, *ex l. 14. ad SC. Vellej.* At renunciatio hæc eſt interceſſio: intercedere quippe eſt pro alio ſeſe obligare. *Weſenb. in par. ad SC. Vellejan. n 9. Jaſon. ad l. 6. de pact. Gomez. 2. reſol. c. 13. nu. 17. Hering. d. tr. c. 7. num. 469.* qui volunt id omninò mulieri non permitti, niſi ubi parata ſit judicium accipere, ut non in veterem debitorem actio detur. *l. ult. §. pen. ff. ad SC. Vellej.* vel ubi mulier

biennio elapſo ſe iterum obſtringat. *l. ſi mulier. 22. Cod. eodem.*

XXVI.

His proximè ſuccedunt Clerici, qui propterea fidejubere prohibentur, ne ſacris domibus fiat damnum, aut ſacra miniſteria impediantur. *Nov. 123. c. 6. Nov. Leon. 86. c. 1. & 2. extr. de fidejuſſ. c. te quidam. 11. q. 1.* Et certè cum irrequiſitò Epiſcopo coram judice ſeculari conveniri non poſſint, *c. ſi diligenti. 12. extr. de for. comp. Nov. 83. N. 123. c. 21. Eberh. in Top. à veroſim.* Fidejuſſor autem vel maximè etiam propter conveniendi facilitatem detur. *l. 2. l. 7. pr. ff. qui ſatiſd. cog. l. 3. de fidejuſſ. l. 11. ad municip.* haut rectè adhibentur: ſi tamen adhibiti fuerint, eos obligari plerique putant. *c. pervenitur. c. conſtitutus. extr. de fidejuſſ.* Nam multa, quæ de jure fieri non debeant, ſi tamen facta ſint, valent. *l. 7. §. ad tempus. ff. de interd. & releg. l. fin. C. de annal. except. c. 1. de accuſ. in 6.* Vult tamen *Gomez. 2. reſol. 14. nu. 18.* eos tùm ſaltem teneri, ſi habent, unde ſolvant ex propriis facultatibus, vel ex reditibus ſui beneficii in quantum facere poſſunt, deductis ne egeant. *Hippol. de Marſil. d. tr. n. 309. & ſeq. Gœdd. d. c. 7. concl. 18. n. 306. & ſeq. Sturc. d. theſ. 8.*

XXVII.

Milites quoq; ut multis gaudent privilegiis, ſic quoque immunes eſſe à fidejuſſionibus jubentur, ne à militiæ ſtudio avocentur, utq; eò melius Remp. armis ſuis defendant, *l. 31. C. Locat. l. 50. ff. eod. l. 16. C. de re milit. l. 8. §. 1. ff. qui ſatiſd. cog. Nov. 116. Gomez. 2. reſol. 13. nu. 19. Nobiliſſ. Keyger. in theſaur. jurid. verb. Militis n. 12. Gœd. d. c. 7. concl. 17. Sturc. d. diſp. 2. th. 8. Treutl. d. th. 2. Hering. d. c. 7. n. 160.*

XXVIII.

Hiſce meritò adcenſemus Prodigum; qui, cum nec modum nec finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit. *l. 1. ff. de curat. fur. l. 12. §. non eſt novum. de curat. & tut. dat. ab his, qui jus dand.* furioſo haut eſt abſimilis. Quamvis enim in eo mentis quædam facultas ſupereſt, mo

eſt, morum tamen depravatio corrumpit ejus uſum, ita ut planè contra propria commoda laboret, quod de mulierib. dicitur *in l. 4. C. de ſponſal.* Hinc rectè omnia beneficia quæ dantur furioſis & mente captis, conceduntur quoque prodigis. *Bald. in l. 2. C. de curat. furioſ. Gl. in l. qui cum alio. ff. de R. J.* & æquiparantur pupillo. *l. 9. §. 9. de reb. cred. & ibi gl. Eberh. in Topic. loco. à minor. ad furioſ. prodig. n. 2. & ſeq. Gœdd. d. c. 7. concl. 10. n. 123. & ſeq. Vult. ad §. præterea. I. Quib. non eſt perm. fac. teſt. Hering. d. c. 7. nu. 136. Sturc. d. diſp. 2. th. 8. Dn. Hillig. in Donell. ſuo. 12. c. 2.*

XXIX.

Objectum ſeu materia fidejuſſionis ſunt obligationes omnes. Et ſanè poſſe eam obligationibus omnibus accedere ex contractu deſcendentibus adſerit. *§. 1. I. h. t. l. 1. l. 8. §. 1. & 6. ff. eod.* iiſque tàm contractis, quàm contrahendis demum. *§. 3. I. h. t. & ibi Vult. n. 1.* ſive civiles eæ ſint ſive naturales. *l. 6. §. fin. l. 7. l. 16. ff. h. tit. l. 13. de cond. indeb. Vult. 1. Juriſpr. Rom. 39. nu. 45. Weſenb. in par. ff. n. 4. h. t. Ampliſſ. Dn. Foman. diſp. I. 21. th. 9. Gomez. 2. reſol. 13. n. 1.*

XXX.

Excipiunt quidam ab hac regula viri in jure haut jejuni caſum, ubi fidejuſſor pro dote conſervanda à marito datur. *tt. C. Ne fidejuſſ. dot. dent.* Labefactaretur n. fides mariti, & ſic jurgia inde deſcenderent, cum oporteat omni lucro maritalem præferre concordiam. *l. 5. de inſt. & ſubſt.* abſurdumque foret, plus alienæ fidei credere, quàm mariti, cum quo omnis vitæ conſortium. *l. 22. §. ſi maritus. l. 1. de rit. nupt. Gœdd. d. tr. c. 6. concl. 23. n. 360. & ſeq. Cuj. ad l. 7. ff. ad SC. Vell. Hering. d. tr. c. 6. n. 240. Facbin. 8. contr. 76. Heig. h. t. nu. 5. Sturc. d. diſp. 2. th. 7. lit. C.* Verior tamen ſententia eorum mihi videtur, qui adſerunt maritum ad dandum fidejuſſorē cogi quidem non poſſe, datum verò ab eo obligari, cum quiſq; ſuo favori renunciare poſſit. *l. pen. C. de pact.* & volenti non fiat injuria, *l. 1. §. 5. ff. de injur.* imò multa peti non poſſint, quæ tamen ſi ſponte dentur, rectè ſe habent. *l. cum illud. §. 1. ff. quand.*

 dies

dies legat. Sic teſtamentarii tutores non coguntur ſatisdare. *§.1. I. de ſatisd.tut.* at datus fidejuſſor tenetur. *l. Gracè.8.§.4.ff. h.t.* & pignus pro dote rectè dari textus eſt *in l.5.de pign. & hypothec.* Rectè *Covarr. ad c.quis. de pact. in 6.p.2.tom.1.§.2.n.16.* Licet æquum, inquit, & amori conjugali conveniens ſit, non poſſe cogi maritum ad dandos fidejuſſores, interim tamen bonis morib. contrarium non eſt aut neceſſarium, quin volente marito teneatur fidejuſſor datus. *Duar. c.4. de jur. dot. Conan. 8.com.9.n.8. Dn. Arum.diſp. I.13.th.12.Hœnon.diſp. I.15. th.4. Bronch. 3.adſert. 13.*

XXXI.

In obligationibus ex delictis vel quaſi deſcendentib., an fidejuſſor interveniri poſſet, major ſuboriri poſſet dubitatio? Nos diſtinctione rem hanc componi poſſe putam⁹. Aut n. ex delicto agitur civiliter aut criminaliter. Illo modo omninò rectè fidejuſſores adhiberi poſſunt, cum pœnas ob maleficiũ ſolvi magna ratio ſuadeat. *l.70.§.fin.l.56.§.fin ff.b.t. l.3.ff. qui ſatisd.cog.* Hoc v. modo ſi agatur rurſus diſtinguim⁹: vel enim agitur ad pœnam pecuniariã fiſco applicandam, & tum non minus fidejuſſores, ut ſuperiori caſu, rectè accipiuntur, ut eò facilius maleficia coërceri poſſint. *dd. ll. l.3.pr.l.4. de cuſtod. & exhib. reorum Auth. Hodie. C. d.t.* vel ad pœnam corporis adflictivam agitur, & tùm judicis arbitrio rem totam committimus, qui inſpectis circumſtantiis & delicti qualitate reũ datis fidejuſſorib. relaxare poterit vel minus. *l. 1. 2. 3. de cuſtod. & exhib. reor. l.pen. C. de dignit. l.6. §.3. C. de appell.c. cum homo.19.c.23.q.5.Sturc.d.diſp. 2.th.7.lit. C.Gœdd.d.tr. c. 6.concl. 23.n.416. Dn. Arum.diſp.I.13 th.13. Schneidw.ad §. 1.nu. 8. I. b. t.* De Jure Saxon. Thut man in peinlichen Sachen keinen zu Bürgen handen/ der in handhafftiger That gefangen wird/ es were dann die Vermutung/ daß er ſich mit Recht wehren müge. 2. Landrecht. *art.9. Schneidw. d. loc.nu. 9.*

XXXII.

Acriter inter ſe Dd. confligunt, an fidejuſſor ad pœnam corporalem quoque ſe obligare poſſit? Negativam ample-

amplectimur. Certum enim eſt, neminem ſuorum membrorum eſſe Dominum. *l.13. ff. ad L. Aquil. c. ſi non licet. 9. c. 23. q. 5.* & ibi eſſe debere, pœnam, ubi noxia eſt. *l. 22. C. de pœn.* & hanc ſantentiam probant *ex l. 1. & 3. de cuſtod. reor. J. Clar. 5. ſent. §. fin. q. 46. Gomez. 5. reſol. c. 9. nu. 8. Covarr. 2. reſol. 2. c. 8. nu. 8. Moller. in conſtit. Elect. p. 4. conſt. 8. n. 12. Weſenb. in par. n. 4. ff. h. tit. Treutl. d. diſp. 28. th. 3. Dn. Arn. de Reyger. in theſ. jurid. verb. Fidejuſſor. n. 12. Bronch. 4. adſert. 58. Hering. d. tr. c. 10. n. 408.* Pro reo itaque capitaliter accuſato fidejuſſor interveniens aut reum ſiſtere debet, aut pœnam pecuniariam exolvere *l. ſi reus. ff. de cuſtod. & exhib.* cujus niſi certa quantitas fuerit expreſſa, aut conſuetudine introducta, judicis arbitrio relinquitur. *d. l. 4.* adeoque ſufficit hoc in caſu, ſi id quod intereſt ſolvat, & ad pœnam conventionalem vel etiam arbitrariam obligetur. *d. l. 4.* Jure Saxon. ſi fidejuſſor reum criminis ſiſtere nequit, Wergeldum exolvere tenetur, *Dn. Arum. d. th. 13. in addit. Côler. 2. de proceſſ. execut. 3. num. 88.* Quid verò ſi & ipſius fidejuſſoris dolus acceſſerit, cur minus reus ſe judicio ſiſtat? Ipſi tùm extraordinariam pœnam (quæ pro ratione delicti & perſonæ ad capitalem uſque extendi poterit. *Dd. in l. ſi ſacrilegii. 6. ff. ad L. Jul. pecul. l. 1. de extraord. crim. Weſenb. in par. ff. de procur. n. 5.*) judex pro arbitrio ſuo imponere poteſt. *d. l. 4. ff. de cuſtod. & exhib.* eaq; tùm non tàm ex alieno, quàm proprio delicto infligitur.

XXXIII.

Et ſanè licet omni obligationi accedat fidejuſſio, *ut dict. eſt ſupr. th. 29.* non tamen intervenire poteſt in contractu, cui lex expreſsè reſiſtit. *l. 11. l. 46. ff. h. t. l. 5. C. de LL.* idem etiam eſt in contractu bonis moribus contrario. *l. 6. §. 3. l. 12. §. 11. l. 22. §. 6. ff. mand. §. 7. Inſt. eod. l. 57. ff. pro ſoc.* cum enim hîc principalis obligatio ſit nulla, utiq; & acceſſoria labaſcit. *§. 5. I. h. t. arg. l. 69. de V. O. Schneidw. ad §. 1. I. h. t. nu. 13.* Hinc etiamſi in iſtiuſmodi caſib. fidejuſſor detur, non tamen obligatur. *l. 47. l. 56. l. 29. ff. h. t. l. 1. §. 2. de V. O. Duar. ad h. t. c. 13.* qui multa exempla in hanc rem adducit. *Treutl. d. diſp. 28. th. 3. Weſenb. in par. h. t. n. 4. Hering. c. 10. n. 18. & ſeq.*

XXXIV.

Finem, propter quem introducta eſt fidejuſſio, proponit ipſe Imperator *in pr. Inſt. de fidejuſſ. & in §. fin. Inſtit. de replic. l. 1. §. 8. ff. de O. & A.* ut videlicet eò diligentius nobis cautum ſit, & tutius, quod in obligationem deduximus, nobis debeatur. Hinc qui rectè cavere vult, ille vel pignus vel fidejuſſores det, *Weſenb. in par. h. t. n. 6. Vult. 1. J. R. cap. 39. num. 45.*

XXXV.

Effectus fidejuſſionis eſt obligatio ad id, quod fuit in obligatione principali fidejuſſionis tempore in contractibus, vel ad pœnam in delictis. Unde rectè propullulat, fidejuſſores in plus (ſive id fiat re, ſive loco, ſive tempore, ſive causâ, *§. ſi quis 33. verſ. plus autem I. de Act.*) quàm principalis debet, obligari non poſſe. Quæ ſententia apertis juris textibus ſuffulta & magnorum virorum autoritatibus eſt comprobata. Facit *l. centum Capuæ. fin. ff. de eo, quod cert. loc. l. 17. §. fin. ad Munic. l. 8. §. 7. l. 16. §. 1. l. fin. ff. de fidejuſſ. l. 22. C. eod. § 5. l. eod. & ibi Vult. nu. 12. &c.* quamvis arctius & efficacius poſſint. *§. 1. I. h. t.* puta ſub juramento, cũ debitor principalis obligaretur ſimpliciter. *Vult. add. §. 1. nu. 1. & in J. R. d. c. 39. nu. 46. Gomez. 2. reſolut. 13. nu. 2.* ubi exemplis aliquot id ipſum declarat, & hoc eſt, quod *Heig. ad pr. I. h. t. n. 8.* diſtinguit inter quantitatem & qualitatem. Quid verò, ſi fidejuſſor pro eo, qui decem debet, viginti ſpoponderit? Et hanc ſtipulationem in totum non vitiari, ſed quo ad partem tantùm, adeoque in decem rogata fidejuſſorem teneri, diſertè approbat *l. 1. §. 4. de V. O.* nec quiſpiam ſanæ mentis negabit, minorem ſummam ſub majori contineri, & utile per inutile non vitiari certum eſt. *d. l. 1. §. 4. & 5. de V. O. l. 299. de V. S l. 5 §. 2. de donat. int. vir. & ux. c. 37. de R. J. in 6. Duar. h. t. cap. 3. Dn. Arn. de Reyger. d. loc. n. 79. Möller in Conſt. Elect. 15. num. 58. Weſenb. in par. h. t. nu. 5. Vaſq. qu. 40. nu. 5. Sturc. d. diſp. 2. th. 9. Dn. Arum. diſp. ff. 23. th. 2. & in Inſt. diſp. 13. th. 15. Dn. Hillig. in Don. enucl. 15. c. 18. And. Gerhard. diſp. l. 14. q. 2. Hanon. diſp. l. 15. th. 11.* Contrariam ſententiam multis rationibus probare

bare conatur, *Conan. 6. c. 6. Gædd. d. tr. c. 4. n. 76. Fach. 8. contr. 51. Paul. Berens diſp. I. 10. th. 2. q. 3. Hottom. ad §. 5. l. h. t. Azo ad rubr. C. eod. n. 9.* cum interrogatus non ad ea reſpondeat, de quibus interrogatus eſt, & ſic inutilis ſit ſtipulatio. *§. 5. Inſt. de inut. ſtip. l. 8. §. 7. h. t.* adeoq; nec animum obligandi habuiſſe præſumatur. Quam quoque ſententiam approbat *gl. ad l. 33. ff. mandat. ad d. l. 8. h. t. & in §. 5. I. eod.*

XXXVI.

In minorem tamen ſummam & leviorem cauſam rectè obligari fidejuſſorem evincit *l. 33. pr. ff. mand. §. 5. Inſtit. h. tit. l. fin. ſi cert. pet. l. 116. de V. O. l. 8. §. 7. l. 34. h. t. Cujac. in l. 77. ff. eod. Vult. in J. R. d. c. 39. nu. 46. Gomez. 2. reſol. 13. nu. 2. Sturc. d. diſp. 2. d. th. Treutl. d. diſp. th. 4.*

XXXVII.

Neutiquam tamen obligatur fidejuſſor ad id, quod ex mora & delicto principalis debitoris principalem obligationem accedere poteſt, *l. 68. §. 1. de fidejuſſ. l. liber. §. fin. ad Munic. l. centum Capuæ. fin. ff. de eo, quod cert. loc. l. 22. de O. & A. l. 3. Qui ſatiſd. cog. l. 10. C. de fidejuſſ. arg. l. Rutilia. 96. de contrah. emt. Gl. in l. quæro. ff. Locat. Gl. in d. l. centum Capuæ. l. initio. 5. C. de pact. int. emt. & vend.* Fidejuſſores enim obligantur ſtipulatione ſeu verbis tantùm *l. 1. de V. O.* Quicquid igitur verbis non eſt promiſſum, ad id quoque non tenetur. *l. 99. de V. O.* Deinde iniquum eſſet, alterum ex alterius facto damnari. *l. 27. de neg. geſt. l. 44. de hered. inſtit.* & fidejuſſori imputari nequit, quod principalis non ſolvat, pœna autem debet tenere ſuos autores. *l. 22. C. de pœn.* & mora ſua cuique nocet. *l. in conditione 173. §. 2. de R. J. cap. mora. d. R. J. in 6.* Vid. latius hac de re diſſerentem *Hippol. de Marſil. de Fidejuſſ. n. 92 & ſ. qq. Gædd. d. tr. cap. 11. concl. 10. n. 124. Sturc. diſp. 2. th. 9. Weſenb. in par. h. t. nu. 6. Coraſ. 2. miſcell. 12. num. 8. Cöler. 1. de proceſſ. exec. 10. n. 351. Dn. Reyger. d. loc. n. 65. Ampliſſ. & Clariſſ. Dnn. Feman. diſp. 21. I. th. 11. Arum. diſp. I 13 th. 16. Hering. c. 24. n. 124. & ſeqq.* ſecus tamen erit, ſi in omnem cauſam fidejuſſerit, tùm enim non minus ad uſuras & intereſſe, ac ipſe principalis obligatur. *d. l. 5. C. de pact. int. emt.*

l. 54. §. Paulus ff. locat. Conſtat enim ex hac ipſa obligatione, quod ſe quoque ad acceſſoria voluerit obligatum. *dict. l. 5. C. de pact. int.* ſibiq; ferat acceptum, quod abinitio ita ſit pactus. *l. 68. §. 1. ff. h. t. l. 2. §. pœnam. ff. de admin. rer. ad civit. Gœdd. d. loc. n. 136. Dn. Foman. Dn. Arum. dd. loc. Coler. d. loc. nu. 152. Bronch. 4. adſert. 54. Sturc. d. loc. Vult. ad §. fidejuſſores. h. t. nu. 3. Hering. d. loc. nu. 34. Diſſ. Cujac. ad l. 8. de eo, quod cert. loc.*

XXXVIII.

Ex fidejuſſione autem non modò obſtringitur, qui ſpopondit, verùm etiam heredes ipſius. *§. 2. I. h. t. l. 4. §. 1. ff. eod. l. 24. C. eod. l. 13. C. de contr. ſtip.* In omnibus enim contractibus regulare eſt, ut actiones ex iiſdem provenientes ad heredes & contra heredes transmittantur. *l. 49. de O. & A. l. 143. l. 62. l. 59. de R. J. tt. ut action. ab hered. & cont.* Plerumq; enim inquit JC. *Celſus in l. 9. de probat.* tàm heredib. noſtris quàm nobis ipſis cavemus. Pacta etiam in dubio realia ſunt non perſonalia. *d. l. 13. C. de contr. ſtip.* Rectè igitur tenetur etiam fidejuſſoris heres; cum omnis ſtipulatio, ſive in dando ſive in faciẽdo, ſive mixta inveniatur, & ad heredes & contra heredes, ſive expreſsè nominati, ſive non, tranſmittitur. *d. l. 13. C. de contr. ſtipul. l. 2. de V. O. l. 49 de O. & A.* Adjiciunt tamen Dd. certas hypotheſes & exceptiones, quando obligatio non tranſeat ad heredes, videl. ſi conſuetudo contrarium ſuadet. In ſtipulationibus enim ſequimur id, quod in regione, in quâ actum ſit, frequentatur. *l. 34. de R. J. l. 3. de LL. l. 8. §. tale. de ſupell. legat. Scheplitz. p. 4. conſuet. Brand. tit. 3. §. 4. n. 18.* vel ſi diſertè pactus ſit fidejuſſor, obligationem ad heredes non extendendam eſſe, *l. 21. §. fin. de pact.* Sic quoque ſi ita inter ſe paciſcuntur, ut in locum demortui fidejuſſoris alius ſubſtituatur, id quod cum creditoris conſenſu fieri debet. *l. 25. C. de pact.* Videtur enim obligatio perſonalis ſaltem fuiſſe. *Heig. ad §. fidejuſſores. Inſt. h. t. part. 2. Conſt. Saxon. 20. verſ.* Und wenn aber. *& ibi Moller. nu. 3. Weſenb. conſil. 14. num. 85. Col. 1. de proceſſ. exec. 10. n. 319. & ſeqq.*

XXXIX.

Fidejuſſore itaque ita obligato in creditoris olim erat arbitrio & poteſtate prius convenire vel debitorem principalem vel fidejuſſorem *l.3. l.5. h.t.* cùm verò ex præcedentibus patet, fidejuſſorem alieno laborare morbo. *Gl. in c. de noſtra. de Procur.* & ex mera benevolentia interceſſiſſe, quædam remedia vel beneficia eidem, ne officium ſuum nimis grave & oneroſum ipſi foret, largiti ſunt Impp. quib. ſe tueri & inſultus Creditorum deflectere quodammodò poſſet, adeòque hodie Principali non excuſſo conveniri nequit. *auth. hoc præſente. C. de fidejuſſ. Nov. 4. c. 1. auth. Hoc ſi. C. de pign. & hyp.* id quod ſummâ & naturali nititur æquitate; Et hoc eſt, quod vulgus Interpp. beneficium ordinis, item beneficium excuſſionis fidejuſſoribus competens vocant: quamvis multas adjiciant exceptiones, quibus & ante principalem excuſſum poterit conveniri. *Gomez. 2. var. reſolut. 13. nu. 14. Geil. 2. obſerv. 27. num. 13. Mynſing. 2. obſ. 15. num. 1. & ſeqq. Hippol. de Marſil. d. tract. nu. 23. Gœdd. d. tr. c. 9. concl. 5. nu. 93. cum ſeqq. Donell. ad l. 2. C. h. t. Treutl. d. diſp. 28. th. 2. Hering. c. 24. n. 128. & ſeqq.* Huic beneficio etiam, ſpecialiter ſi renuncietur, locus non eſt. *Nov. 136. cap. 1. l. 46. de pact. l. pen. C. eodem. Sturc. d. diſp. 2. th. 10. lit. B. Rittershuſ. dict. cap. 2. n. 20. Hering. d. c. 27. nu. 186.*

XL.

Num autem propter juramentum appoſitum fidejuſſor amittat beneficium excuſſionis, variè ambigitur? Et non obſtare juramentum huic beneficio maximi viri contendunt, & adducunt *dict. Auth. Hoc præſente. C. h. tit.* Deinde juramentum ſequi naturam actus, ſuper quo interponitur, *l. ultim. C. de non numer. pecun. cap. ex parte. extr. de Cleric. non reſid.* Imò juramentum contrà LL. pugnare innuunt, cum pium vocetur hoc beneficium. *Nov. 4. cap. 1.* Tale autem juramentum nullam vim & efficaciam in ſe continere adſeverant. *cap. quis extr. de pact. cap. cum contingat. & ibi Alciatus numer. 174. extr. de jurejurand.*

Gomez. 2. reſol. 14. n. 14. Jaſon ad l. fin. ſi cert. pet. Zang. 2. de except. 16. num. 14. Schrad. in miſcell. cap. 5. n. 18. Fachin. 3. controv. 15. Tiraq. ad l. ſi unquam. C. de revoc. donat. nu. 147. Veriorem autem & magis Chriſtianam ſententiam contrariam eſſe communiter ſtatuitur. Juramentum enim, quod citra æternæ ſalutis diſpendium ſervari poteſt, ſervandum omninò. *c. cum contingat. 28. extr. de jurej.* Et Chriſtianus majorem rationem habeat ſuæ conſcientiæ, quàm tantilli damni, imò verò nullius. Teneretur enim idem ſolvere principali excuſſo etiamſi non jurâſſet, aut ſi principalis ſolvendo eſt, poterit eum reconvenire & expoſita repoſcere. Imò ejuſmodi juramentum expreſſæ renunciationis vim habet, *arg. l. cum pater. 77. §. filius. 23. de legat. 2.* & in contractu nulla verba ſuo debent deſtitui effectu. *l. 109. de legat. 1. l. pen. §. docere. ff. Ne quis eum qui in jus voc.* & in contractibus, ne ſyllaba quidem debet eſſe ocioſa. *Eberh. in Topic. loc. à juram. n. 4. & 5. Coler. 1. de proceſſ. 10. n. 395. Moller. ad conſt. 17. nu. 1. & ſeqq. p. 2. Gail. 2. obſ. 23. nu. 22. Boër. deciſ. 221. n. 13. Hippol. de Marſil. de fidejuſſ. nu. 9. Nobiliſſ. Dn. Reyg. d. loc. n. 139. Treut. dict. diſput. th. 5. lit. D. Hering. c. 27. nu. 46. & ſeqq. Gœdd. cap. 9. num. 78.*

XLI.

Num verò ſecuritas data principali proſit quoque fidejuſſori, inter ſe diſcrepant Dd. Et quia perſonale videtur privilegium, quod perſonam non egreditur, ſed ei ſemper adhæret. *l. 68. l. 196. de R. J. l. 13. ſolut. matrim. l. 7. de except. c. privilegium. de R. J. in 6.* utique ſecuritas conceſſa principali ad fidejuſſorem extendenda non erit. Verior tamen ſententia videtur eorum, qui fidejuſſori eandem quoque prodeſſe ſtatuunt. Iniquum enim foret, fidejuſſori id non eſſe utile, quod prodeſt ſuo principali, *leg. 2. de liberat. legat.* Exemplo enim rei principalis tale beneficium ei competit. *l. 12. de non num. pec. l. 3. §. 1. ff. de uſur. rei judic.* Acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis. *c. acceſſor. de R J. in 6.* & contra naturam eſt, ut poſſit in plus eſſe obligatus fidejuſſor, quàm ipſe principalis *l. 8. §. illud. ff. h. t. l. ſi ultra. C. eod. §. fidejuſſores. I. eod. vid. ſupr. th. 35.* nec ſemper eſſe verum, per-

ſonalia

ſonalia privilegia non egredi perſonam docet pluribus exemplis. *Hipp. de Marſil. d. tr. n. 284.& ſeqq.*

XLII.

Num verò reſtitutio in integrum minoris fidejuſſori ipſius quoque proſit, anceps quæſtio eſſe videtur? Fragile eſſe & infirmum ætatis minorennis conſilium, multisq; captionibus ſuppoſitum & multorum inſidiis expoſitum, inter omnes conſtare, & inde ipſis auxilium ferendum eſſe, inquit JC. Ulpian. *in l. 1. de minor.* Cum itaque hæc ratio in fidejuſſore ceſſet, ceſſabit & ipſum privilegium. Idemq; hoc evincit *l. 1. & 2. C. de fidej. minor. l. 60. ff. h. t. l. 13. in pr. de minor. Bart. in l. 2. & 25. §. 1. de pact.* proinde damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſentire non videtur. *l. 203. de R. J. c. 86. de R. J. in 6.* & ſibi imputet, cur pro tali fidejuſſerit, qui jure & efficaciter obligari non potuit. Qui enim cum aliquo contrahit, debet eſſe non ignarus ejus conditionis, cum quo contrahit. *l. 19. de R. J.* tùm non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. 74. de R. J.* nec mutandum eſt conſilium in alterius injuriam. *l. nemo. 75. eod. l. nonnunquã. de coll. bon.* deciperetur n. creditor, qui ſibi per fidejuſſorem conſultum voluit. *l. 13. de minor. l. 2. C. de fid. minor. in pr. I. de fidejuſſ. Gomez. 2. reſol. 14. nu. 9. Men. 2. conſil. 179. nu. 1. Mynſ. 4. obſ. 18. Hering. 27. part. 4. n. 103. Cujac. 19. obſ. 29. Ant. Fab. 7. conject. 31.* Contrà verò fidejuſſorem, uti heredem minoris poſſe ſe hoc beneficio tueri probatur ex *l. 95. §. 3. de ſolut. l. 6. de in integr. reſtit.* Exceptiones enim quæ rei cohærent, & fidejuſſorib. tribui *l. 7. §. 1 de except.* evincit. Inter exceptiones autem reales beneficium reſtitutionis in integrum referri putant *Dd. in l. 21. §. fin. ff. de except. rei judic. l. 7. l. 19. de except. l. 3. §. 9. l. 18. §. fin. de minor. Treutl. p. 1. diſp. 11. th. 2. l. D. Zang. de Except. p. 3. c. 26. nu. 221. Donell. 22. c. 3. Hering. d. tr. d. c. n. 115.*

XLIII.

Competit inſuper fidejuſſoribus, ſi plures fuerint, beneficium diviſionis. Etſi n. de jure antiquo quiſq; fidejuſſorum

quemcunque voluiſſet eligere. *§. 4. I. b. tit. l. 3. l. 21. C. eod. Cajus 2. Inſt. 9. §. Creditores. 3.* gaudent tamen ex Epiſtola D. Hadriani beneficio diviſionis, ita ut creditor actionem dividere, & fidejuſſorum quilibet partem ſaltem ſolvere cogatur. *d. §. 4. I. b. t. l. 26. 27. §. 1. l. 28. ff. eod. l. 10. §. 1. C. eod. l. fin. C. de conſt. pecun. Nov. 99.* Et æquiſſimum eſt, qui æqualiter obligati ſunt, æqualiter quoq; ſolvant. *l. 12. Rem. pupill. ſalv.* Licet enim de jure ſinguli teneantur in ſolidum, & ipſo jure non dividatur actio, fit tamen per exceptionem: quod duntaxat tùm verum eſt, ſi omnes ſint ſolvendo. *d. §. 4. d. l. 2. C. de fidej. l. 28. ff. eod.* Idonei aliàs pro non idoneis rectè conveniuntur. *l. 46. §. 9. de jur. fiſc. auth. Hoc ita C. de duob. reis l. 26. b. t. l. 63. §. 5. pro ſoc. Sneidw. ad d. §. 4. Inſt. de fidejuſſ. nu. 16. & ſeqq. Heig. ibid. n. 4. & ſeqq. Hottom. hîc. Gomez. 2. reſol. 13. n. 15. Hippol. de Marſil. n. 27. Weſenb. in par. n. 6. b. t. Gædd. c. 9. concl. 5. nu. 106. Hering. cap. 27. p. 2. nu. 17.* Hoc privilegio non gaudent, qui pro tutore rem pupilli ſalvam fore ſpoponderunt. Intereſt enim ne pupilli litibus & ſumtibus vexentur. *l. 6. de minor.* tum quia ipſi non contraxerunt, & omnia ignorant, beneficium hoc ipſis obeſſe non debet. *l. ult. ff. rem pupill. ſalv. l. 5. § pen. ff. judic. ſolv. l. 43. l. 27. §. 4. b. tit. Heig. in I. ad §. 4. b. tit. Sneidw. ibid. nu. 20. Gædd. d. c. nu. 101. Hering. d. cap. 27. nu. 50.* qui plures quoque recenſet exceptiones. Quid verò, ſi ſic ſe obligarunt fidejuſſores, ut velint omnes eſſe obſtricti pro uno, & unus pro omnibus, Einer für alle/ vñ alle für einen. An tum hoc diviſionis beneficium ceſſet? Equidem. Hæc enim generalis renunciatio habetur pro eo, ac ſi ſpecialiter renunciatum eſſet, *arg. l. 15. C. de teſt. Coler. 1. de proceſſ. 10. nu. 444. Moll. ad conſt. 17 p. 2. nu. 11. Gædd. d. tract. c. 9. n. 21. Hering. cap. 24. nu. 51. Schlepitz. p. 4. conſuet. Brand. tit. 3. §. 4. nu. 9. & ſeqq.*

XLIV.

Competit tandem fidejuſſori beneficium quoq; cedendarum actionum, ita ut is, qui ſolvere tenetur, regreſſum habeat ad bona principalis non ſolùm, *§. 4. Inſt. b. t.* ſed & ſi ſolidum ſolverit ad reliquos quoque confidejuſſores: quod commodius ut fieri queat, creditor actiones ſuas fidejuſſori

ſolidum

ſolidum ſolventi cedere compellitur. *l.14. l. 43. mandat. l. 28. eod. l. 14. l. 21. C. h. t. l. 17. l. 36. ff. eod.* nec prius tenetur fidejuſſor ſolvere, quàm ei ceſſæ ſint actiones cum inſtrumentis principalibus. *d. l. 21. C. h. t.* Cum enim reliqui confidejuſſores huic non ſint obligati, ei quoq; nihil jure reſtituere tenerentur. *l. 39. h. t. l. 11. C. eod. l. 76. l. 95. §. pen. de ſolut.* ſicq; ſumma fieret injuria. *Hippol. de Marſil. nu. 28. Gœdd. c. 9. concl. 1. nu. 4. Coler. 1. de proceſſ. c. 10. n. 415. & §. 2. c. 2. n. 11. & ſeq. Hering. cap. 6. nu. 6. & ſeqq. Weſenb. in par. h. t. n. 6. Sturc. d. diſp. 2. th. 10. lit. D. Schepliz. d. p. 4. conſuet. Brandenb. tit. 3. §. 2. n. 6. Heig. p. 1. q. 38. nu. 1. & ſeqq.*

XLV.

His ita ad fidejuſſionis contractum pertinentibus explicatis, reſtat, ut ejus contraria, modos ſcil. quibus rurſus diſſolvatur breviſs. pervolvamus. Quicquid enim certo modo conſtituitur, certo modo quoq; diſſolvitur. *l. 35. l. 100. l. 153. de R. J. l. quemadmodum. de acquir. vel amitt. poſſ.* & ſolutio eſt neceſſaria, ubi vinculum extitit. *Hering. cap. 20. nu. 3. & ſeq.*

XLVI.

Solutione itaq; tolli fidejuſſionem nemo ut puto ibit inficias. *l. 37. ff. h. t. l. 19. de dol. mal. l. 49. l. 24. de ſol. l. 2. C. de fidej.* nec quicquam intereſt, utrum ipſe Principalis ſolvat, *l. 2. C. de fidej. tut.* an alius ipſius nomine. *l. 50. ff. mand. l. 5. C. de ſolut. l. 15. C. de fidejuſſ.* modò creditori ſatisfiat. *pr. I. quib. mod. toll. oblig.* Liberantur itaque Principalis ſolutione non tantùm ipſe Principalis debitor, ſed & ejuſdem fidejuſſores. *l. 19. in fin. ff. de dol. mal.* ſi verò fidejuſſores creditori ſatisfecerint, ipſi quidem liberantur, ſed principalem debitorem ſibi retinent obligatum. *arg. l. 43. l. 71. §. 1. de ſolut. l. 20. §. 1. ff. mandat. Hering. d. c. 20. §. 1. num. 4. & ſeqq. Schlepitz. dict. tit. 3. §. 3. num. 1.*

evincit *l. 60. ff. h. t. l. 4. C. eod. l. 1. 2. 18. de Novat.* non ſecus ac omnes aliæ obligationes ſive re ſive verbis ſive conſenſu conſtent. *dd. ll. & §. 3. I. quib. mod. oblig. toll. Hipp. de Marſil. d. tr. n. 89. Gœdd. d. tr. c. 5. concl. 7. n. 38. Hering. c. 20. §. 3.*

XLVIII.

Num verò datis pignoribus fidejuſſores liberentur inter Dd. controvertitur? Et liberari eos à nonnullis adſeritur, cum melius ſit pignori incumbere, quàm in perſonam agere. *l. 25. de R. J. §. furti I. de oblig. quæ ex delict. naſc.* & cuilibet licet facere quod ſibi prodeſt, & alteri non nocet. *l. in creditore de evictıon. & ibi gloſſ.* Licitum inſuper eſt pro fidejuſſore dato alium æquè idoneum præſtare. *l. Labeo ait §. fin. ff. de recept. qui arbitr. l. qui a. §. ſed & ſi quis. ff. de conſt. pecun. Hippol. de Marſil. n. 296. Gl. in l. 1. qui ſatiſd. cog. Eman Soarez. in theſaur. contr. opin. l. F. n. 154. Franc. Viv. ibid. lit. F. in ſumm. Decius ad l. 25. de R. J. Nobiliſs. Dn. Reyger. in theſaur. jurid. d. lo. nu. 66.* At veriorem contrariam ſententiam eſſe arbitror; Non enim licet aliud pro alio invito creditori dare vel mutare *l. 9. §. 3. de pignor. act. l. 16. C. de ſolut. l. 4. §. 3. de re judic.* Imminet inſuper labor & periculum in cuſtodiendis pignoribus, quæ ſi corrumpantur, tenetur creditor emendare. *l. 29. §. 7. ad L. Aquil. Gloſſ. ad auth. offeratur. C. de lit. conteſt. Gl in l. 1. qui ſatiſd. cog. Soarez. in theſaur. comm. opin. lit. F. num 155. Marſil. num. 298. Dn. Reyg. dict. loc. num. 166. Hering. cap. 18. num. 68.*

XLIX.

Fluxuoſa hic quoque occurit quæſtio, num nimirum prorogato termino ſolutionis, fidejuſſor liberetur? Negam. Notum enim eſt, creditorem non prorogare terminum propterea, quod velit obligationem novare: quippe novatio non niſi expreſsè de ea inter contrahentes agatur, fit *l. fin. C. de novat.* Inſuper actus ultra agentium intentionem nihil operantur. *l. 3. §. fin. de O & A. l. 19. ſi cert. petat.* Præterea, ut tempus non eſt modus conſtituendæ obligationis, ſic quoque nec finiendę *l. obligationum 44. §. 1. de O. & A.* non nocet igitur

hæc

hæc prorogatio fidejuſſori, niſi denuò ſeſe obliget, nec tamen prodeſt, ita ut liberetur, ſed differatur tantùm prior obligatio, niſi conditionalis fuerit, & ſpecialiter caverit, ſe ultra dictum tempus non ſpondere. *Soarez. d. loc. n. 161. Coler. 1. proceſſ. 10. n. 347. Gomez. d. 2. c. 13. n. ult. Möll. in d. conſt. 19. in pr. Dn. Arum. diſput. I. 13. th. 20. Gœdd. d. tract. c. 12. concl. 10. num. 84. Treutl. d. diſp. 28. th. ult. lit. G. Hænon. in diſp. 15. th. 14. Fachin. 2. contr. 88. Clariſſ. Dn. Riemer. fautor & amicus honorand. decad. 10. q. 5. Weſenb. in par. h. t. n. 6. Mynſ. 6. obſ. 53. n. 3.*

L.

Mors denique licet omnia ſolvat. *Nov. 22. c. 20.* non tamen ita liberat fidejuſſores, quin heredes ipſorum teneantur. *l. 4. §. 1. h. t. de quo ſupr. egi in th. 38.* præterquam ſi vel judicio ſiſti, vel pro reo ex delicto ſuo accuſato ſpoponderint. Illo ſiquidem caſu Principali mortuò, ut fidejuſſor omnem evitat pœnam, *l. 26. circ. fin. C. d. t. l. 10. §. 2. ſi quis caut. jud. ſiſt. l. ſi deceſſerit. 4. qui ſatiſd. cog.* à qua facti impoſſibilitas excuſat, *l. fin. §. 1. verſ. Idem juris. ff. ad L. Rhod. de jact.* ita vel maximè ipſius heredes liberantur. Hoc verò caſu, ut mors crimen ipſum, ita & pœnam extinguit. *l. 6. de publ. judic. l. 15. ad SC. Turpill. l. 10. §. 2. ſi quis caut. jud. ſiſt.* non tantùm in principali reo, ejusq; heredib. ſed & in acceſſoriis perſonis. *l. cum principalis. 178. de R. J. d. l. ſi deceſſerit. 4. ff. qui ſatiſd. cog. Hering. d. tract. cap. 20. §. 10. Coler. 2. de proceſſ. 3. n. 65.*

Et hæc de ampliſſimâ hac materiâ pro ingenii mei imbecillitate, & temporis, quod ad adornandam hanc diſputationem adſumſi perexiguum, ratione propoſuiſſe ſufficiant.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

II.

An quatuor Monarchiæ κατ' ἐξοχὴν *ita dictæ bello initiò ceperint.*

III.

An conſvetudo, quæ apud Turcas in uſu eſt, dum in contrahendis matrimoniis majorum ſaltem conſenſum requirunt, qui ſi intervenerit, licitum Sponſo rapere virginem. (Videtur enim indecorum eſſe ſecundum illorum opinionem, in primos concubitus virginem conſentire) probanda veniat, Busbeq. in Epiſtol. Turc. Epiſtol. 1. pagin. 22.

IV.

An Aſtyages filium Harpagi *necando, partim torrendo, partim lixando, & patri ad comedendum præbendo, ob hoc ſit Tyrannus dicendus.* Herod.lib.1. p. 83. & 84.

Gene-

Generoſâ nobilitate, & præclarô virtutum & ſcientiarum genere admodum conſpicuo Viro--Juveni

Dn. LEVIN-LUDOLPHO AB ALVENSLEVE,

&c. Equiti Marchico, Fautori & pro tempore Convictori meo plurimùm æſtimando & ſuſpiciendo.

NObilitas eſt grande decus: virtute *ſuorum*
Cenſeri, generis magnus habetur honos.
Cenſeri ſed laude ſuâ ſimul atq; *ſuorum*,
Præclari generis major habetur honos.
In te concurrunt duo vincula: *Martis* & *Artis:*
Augetur meritò grandius inde decus.
Nobilitas gentis cum multis forſan habenda:
Nobilitas mentis rarior illa tuæ:
Tu ſcitâ ratione tuos nunc exſere nervos
Ingenii, linguæ flumina pande tuæ.

Gratulor, *Ingreſſum*: *Congreſſum*: Spiritus almus
Adſit: & *Egreſſum* proſperitate beet.
Sic creſcit Patrum virtus in gente nepotum,
Majus & augetur mentis honore genus.

Singularis obſervantiæ & intimi affectus teſtandi cauſſâ, lubens meritoq; deproperabam,

Wolfgangus Wertherus
Mühlpfort D.

EIDEM.

HÆc mihi Nobilitas punctum feret omne, ſereni
Hæc ferrent cœli mihi ſidera vertice ſummo
Hæc mihi digna loco, quæ Martis & Artis alumna,
Quæ dextrâq; gerens gladium, librumq; ſiniſtrâ
Pro Patriis capit arma focis, arisq;, nec ipſam
Pro legis, miſeriq; gregis, populiq; ſalute,
Si ſit opus, dubitat pugnans impendere vitam.
Conſiliisq; ſimul cives moderatur & aulas,
Arbitrioq; ſacri juris, blandoq; diſertæ
Eloquio lingvæ. Quid? an hæc non aurea dicam
Poma bilanx nobis quæ fert argentea? ſcutum
Hæc mihi Nobilitas Patriæ, gladiusq; vocetur.
Hæc in te ſita ſunt, & erunt, Levine, *fatebor,*
Aluslebiæ *gentis generoſa,* Ludolphe, *propago,*

Quid

Quid celes animi vegeto ſub pectore, tempus
Oſtendet, dubiiſq; volans occaſio pennis.
Sed tibi quas artes Themis, & Tritonia Pallas
Coutulerit, verſu quid opus memorare? docebit
Hæc ſaliens æqui tua diſſertatio juris
E ſcatebris, largoq; fluens, res ipſa loquatur.
Gratulor has animæ dotes, ſortiſq; benignæ
Munera: Perge precor, neq; te ſine quæſo, volentem
Transverſum rapiat dolor ullus, & ulla voluptas.
Publica res meritos tibi jam meditatur honores,
Majorumq; cupit ſimilem ſpectare tuorum,
Quos Comites olim tulit inclyta Saxonis ora.

Wolfgangus Heider M.
17. Feb. 1618.

MEO

LEVINO LUDOLPHO
AB ALVENSLEVEN,

Viro-Juveni Nobiliſſimo, Cognato ac Amico veteri & fideliſſimo, de FIDEJUSSORIBUS *publicè differenti.*

SAlana excipiunt quam Pulpita Numine fauſto,

Eſt in amicitia crdendi formula diſpar:
Candor Amicorum pectora bina ligat.
Ergo Foro fidei ſimulacra remittimus illa:
Devinxit noſtros rara Fides animos,
Et ſponſor nobis ſunt mutua verba Poëtæ:
Tu in me ita es, hem in te ut ego, ac tàm hìc te amo
ego, ac tu ibi me-hìc.

Otto à Münchauſen.

Ad Nobiliſſimum ac Literatiſſimum

Dn. LEVINUM LUDOLPHUM AB ALVENSLEVE, RESPONDENTEM.

Magna fides Populi Germani ſymbolon olim
Moribus antiquis quando Germana ſtetit res:
Aſt nunc Carneades dubius ſub ſchemate ludit
Parva fides populo Germano: Verbula ficta
Galli ſub ſtrepitu dum fundit eburnea porta
Græca fides Populo Germano Curio dictat,
Judicii cauſas dum lite morantur iniquâ
Nulla fides populo Germano barbarus inquit
Perfida dum ſenſim molimina corde rotundat
Barbare quid garris? quid vano murmure grunnis
Curio? Carneades cur pectora fida laceſſis?
Huc agite, ALVONIS *diſcurrite tmemata docta*
Illa docent fidei quæ juſſio juſta verendæ
Illa docent fidei-juſſor quæ jura requirat
Huc agite & lectis plenis effundite buccis
Magna Fides Populi Germani Symbolon eſto
Moribus antiquis res ſtet Germana Viriſq;.

M. Salomon Lenz.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE